

salutare hoc Regulationis opus in tutamen, securitatem et incrementum Charae illius Patriae unice cedat, ac ut ad praemissa Benignissime applacidanda puncta summe fatam Suam Majestatem promovere possim, omnem omnino possibilem conatum meum impendere, Eidemque idcirco humillime supplicare aequae non omisi. Erga quam demississimam propositionem meam eo Benignissime inclinari passa est Sua Majestas Sacratissima, quod gratiam et clementiam suam Caesareo Regiam Inclytis Statibus et Ordinibus pro omni occasione eo amplius conferre velit, quo magis Eidem notum est, qualiter titulatae Dominationes Vestrae Inclytique Status et Ordines intemeratam fidelitatem suam, non solum prioribus temporibus, verum etiam durante novissime sopito Bello, exponendo vitam facultatesque suas, juxta Clementissimum Suae Majestatis Beneplacitum multifarie demonstrarunt.

Quod itaque ex praefata Conferentia mihi transmissa et saepe fatam Regulationem Confiniorum Banalium, Jurisdictionem item, ac Praerogativas Regni, auctoritatemque Bani concernentia puncta attinet, ea sunt in ordine sequentia. Et quidem.

Primo. Ut Regni et Bani in praemissis Confiniis Banalibus hucusque habita Auctoritas et Jurisdictio, non solum ulterius confirmetur, verum etiam ex Clementia Caesareo Regia dehinc ampliatur. Haec porro Auctoritas et Jurisdictio

Secundo, In eo consistant, ut Regnum cum Bano, ex Benigna Resolutione Regia nominato, constituendi Jus habeat Regni Capitaneum, Militaribus suis rebus praeficiendum, qui Capitaneatus a longiori jam tempore dignitati Banali conjunctus esse consuevit. Quod si vero

Tertio, Praemissum Capitaneatum Regni ab Officio Banali separari contingeret, ut constituendus Regni Capitaneatus tam a Bano quam Regno dependeat; et insuper quemadmodum hactenus omnes Confiniarii Officiales usque ad Voivodatam inclusive a collatione Bani et Regni dependebant, ita in futurum hoc ipsum observetur.

Quarto. Ut in casu vacantiae praeappositorum Officiorum, Regnum Bano, qua simul Regni Capitaneo, pro singula tali vacantia tres idoneos et benemeritos Nobiles Patriae Filios proponendi Jus habeat, Bano autem liberum sit unum ex iis eligere, modo et praxi ea, quam Proprietarii apud sua Regimina observare consueverunt, ita quidem, ut talismodi a Bano nominatus Officialis, aequalem praerogativam, vulgo Rang, et activitatem habeat, quali aliorum Regiminum Officiales in simili Sphaera gaudent.

Quinto. Ut in ipsis pro nunc quidem definitis, auxiliante vero Deo olim amplius extendendis confiniis, non solum praesens Institutio et Regulatio, verum etiam dispositiones futurae, tam in introducendo novo ordine et ejus conservatione, quam in Constitutione Regulationeque Commissarii, Auditoris, et juxta Exigentiam circumstantiarum nefors erigendae cujuspiam Administrationis, et denique etiam pro casu praestandi ab Aerario Caesareo Regio hunc in finem desiderati subsidii, penes Regnum et Banum permaneant.

Sexto. Ut Praesidium Petrinense una cum omnibus appertinentiis, vigore Diplomatis Leopoldini, Confiniis Regni Banalibus adjiciatur et incorporetur. Respectu autem Salarii Bani ab Aerario Regio provisio fiat. Denique

Septimo; Ut munita per concursum Aerarii Regii in Regno Croatiae Fortalitia, non alio, quam Nationali Milite impraesidiata sint, ac tandem